



~~917~~

EX BIBLIOTH.

NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-59.

SIGNAT. MDCCCLXIII.

C D.

COLLEGIJ ARETOLOGICI

DISPUTATIO ETHICA VIII.

DE MODESTIA

ET MAGNANIMITATE,

Quam

PRÆSIDE


M. FRIDERICO VICCIO SIL.

defendet

JOHANNES HONTERUS

Coronâ Transylvanus.

Ad diem 13. Dec. in Audit. Maj.



VVITTEBERGÆ,

Typis JOBI WILHELMI FINCELII

ANNO M. DC. LIV.

34

h. III. 1915



I. N. 7.

Non unum honoris nomen est, nō unus tūm temporis valde receptus ritus, quō falsa Gentilium Numina, & Reip. suæ Columina ex merito, ut ipsis videbatur, veteres sunt prolixissimè profecuti. Cui benè Antiqui cupiebant, & grates nimium quantum magnas ex debito, uberrimasq; laudes dicere habebant, in hunc utrâq; manu amplam florum atque Coronarum segetem, quam Tertullianus aspergionem florum, Apulejus ferti & soluti floris jaculum, Herodianus *σεφάνων καὶ ἀνθέων βολάς* salutant, conjiciebant. Idem Neroni factum, ut testis est Svetonius in Ejust. c. 25. aitq;: Incedenti passim victimæ cæsæ sparsa per vias identidem croco, ingestâq; aves, ac lemnisci & bellaria sacras coronas in Cubili circum lectos posuit. Confirmat idem Gellius, quando *l. 3. N. A. c. 15.* refert, quod in Diagoram, qui uno die tres filios, unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem, vidit vincere omnes, coronariq; eadem Olympiæ die, populus gratulabundus flores undiq; jecerit. Nec aliud *Florus habet l. 2. histor. Rom. c. 7.* Quo inquit, certavere plausu? quid florum in Consulem profuderunt? *Qui Φυλλοβολίας* honor & mortuis collatus, ut memorat *Sveton. in August. c. 18.* Ex adverso cui malè volebant, in Eum rapum, lutum, lapides, cæmentum, fimum jaciebant, ut ex *Sveton. in Claud. c. 8. didicimus.* Ita Diis, quos singulari colebant honore auream apponi barbam curabant. *Vid. Persius in sat. 2. & ad Eum in Notis Casaubon.* Ita de Caligula refert Seneca quod plerumq;ve ille aurea barba fulmen tenens, ac fuscinam acceduceum Deorum Insignia atq;ve etiam Veneris cultu fuerit conspectus. Alium in finem barbâ crevisse aureas Judæis postquam vitulum comederint aureum, refert ex Rabbini *Selden. in de diis Syr. synt. 1. cap. 4. p. m. 157.* Contra in more Græcis erat positum, atq; Latinis, ut, quibus illudere vellent, barbâ illis vellerent. *v. Casaubonus in Pers. p. 167. & p. 194.* Sic Meretrices Juvenum stultorū patientiâ abutebantur, ut propter leves offensas, non tantum colaphis Eos cæderent; sed & sandalio caput commitigarent, & barbâ vellerent. Unde Poëta: Cur

Cur tua fœmineo caduntur pectora focco,
 Infamiq; manu barbula vulsa cadit
 Utq; deficeret nihil, contulere Magnatibus plurimos honores,
 quam homini oportebat. Hinc per Augusti nomen & genium
 jurabant, aras eo vidente & vivente ponebant, ut recitat *Sve-*
ton. in August. c. 52. in Claud. c. 121. Dei diviq; nomina & Nu-
 minis ipsis imponebantur, *Hinc Horat. l. 3. Od. 5. str. 1.* præsens
 Divus habebitur Augustus, adjectis Britannis Imperio, gravi-
 busq; Persis. *Ita l. 4. Od. 5. str. 8.* Deus audit, ut canit: alteris de
 Mensis adhibet Deum: & paulô post, Numen nominatur: ut
 canit, Laribus tuum miscet Numen. *Et Virg. in Eclog. 1. init.*
 canens, namq; erit ille mihi semper Deus &c. Augusto divi-
 nos pollicetur honores. Immo robur dehinc subinde sumsit
 hæc Infania. Namq; Domitianus ut refert iterum *Sveton. in*
vit. Domitiani c. 13. cum procuratorum suorum nomine for-
 malem dicitaret epistolam sic cœpit; Dominus & Deus no-
 ster sic fieri jubet. Unde institutum posthac, ut ne scripto qui-
 dem, ac sermone cujusquam appellaretur aliter. Adjicien-
 dum & hoc est, quod de Imperatoribus junctim sæpe legan-
 tur: Numini Majestatiq; ejus. Quod subscriptiones indi-
 cant antiquissimæ, ubi hæc literæ lectæ: N. M. Q. E. D. i. e. No-
 mini Majestatiq; ejus devotus. Hæc superbia & fastus Anti-
 qvitatæ fuit. De quibus tamen hic longius ire non conces-
 sum. De virtutibus agendum, quæ medio nos jubent ire, in
 Honorum calcando tramite. Nempè ne periculosas hono-
 rum cedros turpiter delapsuri temerè scandamus, neq; divinis
 nos indignos dotibus nimia abjectione reddamus, duo Ari-
 stoteles paravit Media, quibus Ingenium circa honores tem-
 perandum, MODESTIAM, & MAGNANIMITATEM. Sit itaq; di-
 sputationis præsentis.

CAP. I. De Modestia.

§. 1. Antequam hujus virtutis Adyta penetremus, principiò
 quærendum esse & tractandum duco discrimen, quod inter
 Modestiam & Magnanimitatem habetur. Quod si n. una ea-
 demq; , ut augurantur frustra, hinc seorsim eas pertractare co-
 naremur.

§. 2. Nos

§. 2. Nos, uti libenter largimur, magnam istas habere cognationem, & sororio q̄s. vinculo esse conjunctas, nihilo tamen minus discrimen inter Istas, quam proxime ad specificum accedere, nō inficiamur. Nec culpandum Aristotelem esse opinamur, quod honoribus magnis Virtutē distinctā, & aliam ab hāc distinctam realiter, honoribus mediocribus assignarit *V. Ethic. l. 4 c. 4. ejusd.* Quando namq; Liberalitas & Magnificentia, quarum illi sumptus minores, huic majores competunt, specie differunt, cur non idem, dum de simili simile sit Judicium, de Magnanimitate & Modestia erit asserendum?

§. 3. Nec ferenda hīc Timpleri sententia est, quam habet *l. 2. Syst. Ethic. c. 6.* quod Objectum Modestiae, Omnis omnino honor sit. Tale generale objectum nō agnoscit modestia, ut generalis ex eō Virtus constituatur. Si enim Virtus ad magnos tenderet honores, excederet: si ad parvos, deficeret, & ita virtutes Eæ vitiorum nomine polluerentur. Vel dicendum esset, quod Magnanimitas Modestiae generis, sit species, dum hāc in genere honorem consideret Jam, quando Generis est, ratione suā universalitatis, ut de pluribus specie diversis dicatur, conspicies magnanimitati erit cōjungenda, quæ conjunctæ sub hoc genere cōtinerentur & ita Entia præter rei necessitatem multiplicantur, quod ἀπερον. Accedit tertio, quod dicere possim, omnis magnanimus est modestus, nō vero cōtra, ut ita latius se extendat ipsa Magnanimitas, non Modestia.

§. 4. Esse verò distinctas specie virtutes, non difficile erit probare. Dum alia utrobique, sit formalitas, alia Extrema, ut in seq. patebit.

§. 5. Nec est, ut objicias ex regulā Logicorum receptissimā, magis & minus non variare speciem, atq; adeo, dum talis sit differentia inter istas virtutes, discrimen specificum admitti non posse. Et concedendum istud esset, si discrimen tantum secundum magis & minus hic locum inveniret, ex explicatione illorum. At nos ad discrimen hoc non tantum Objecti paritatem & identitatem quā materiale, sed & ejus Identitatem quā formale requirimus. Rectè docetur, studiosi atque Præceptoris scientiam physicam de Corpore naturali, quā tale

est, gradu differre, non specie, dum in illo tantum minor, in hoc summus Scientiæ gradus reperiatur, & ubiq; Objecti tum materiale tum formale dignoscatur. Idem non hic reprehendes. Objecti ὑλιόν utrobique, non τὸ εἰδηόν. Hic enim minores, illic majores proponuntur honores.

6. Pergunt oggannire, atq; blaterant, hoc modo etiam nos & fortitudinem duplicem, & Temperantiam duplicem statuere posse, & duplicitatem nõ subordinationis alicujus; sed & oppositionis in virtutibus istis introducere. At reponimus; nos fortem non dicere eum qui leviora à sese pericula spernit, capitalia vero quam maximè reformidat: Nec temperans dicitur, qui leves & exiguas voluptates insuper habet, majoribus v. concedit, ut ejus animus perturbetur non modo; sed & à rectà rationis semitâ ad quævis avia revocetur atque trahatur. De hinc pericula & voluptates magnæ cadunt in homines cujusq; conditionis, & κατὰ τὴν ἐνέργειαν, non item pecuniæ magnæ, atque honores summi.

7. Isti jam quæstioni ut satis ex nostro Judicio, factum, ad ipsas in specie tractandas delabimur virtutes, consideraturi jam Modestiam, Cujus tractationis pensum ordimur ab ipsa definitionis telâ.

8. Modestia ipsi Aristoteli est μεσότης πρὸς τὰς μικρὰς τιμὰς. Est virtus in modicis honoribus mediocritatem servans. Vel: Est virtus, quâ quis cum mediocribus honoribus sit dignus, eis se dignum quoq; æstimat, eosq; ut fas est, decenter appetit. Menander eam ἰαμείον ἀρετῆς, Euripides δῶρημα θεῶν κάλλιπον, Lipsius virtutum omnium fulcrum & vinculum, quæ labuntur & diffluunt, nisi eâ nixæ, nisi eâ nexæ, salutant.

9. Objectum circa quod occupata Modestia, mediocris & modicus honor est. Qui modicus dicitur non absolutè, quod ita sit ex defectu. Sic enim Modestia non esset circa honores appetendos; namq; honor qui æqualitate gradus virtuti non respondet, non debet appeti, nec enim virtuti est proportionatus; sed comparatè, nempe respectu honoris, qui Magnanimitatis Objectum est. Siquidem honor Magnanimitatis magnæ destinatur virtuti, modestiæ honor minor, minori.

10. Hic

10. Hic honor impetrare cupienti eundem, considerandus est tum ληπτικῶς ut modum observet, quò ex decenti ratione eam nanciscatur; tum φυλατικῶς, ut eum acceptum defendat: tum ἐπινομένως, ut in accepto acquiescat, nec semper plus ultra tendat.

11. Requiritur, ut honorem ex ejusmodi rebus, quæ illo dignæ judicantur, ut sunt bene administrata Resp, honesta militia, virtutes & bonarum artium studia, aliæq; præclaræ functiones, appetamus & acquirere legitimis mediis gaudeamus.

12. Non est itaq; ut per munerum oblationem, quibus homines Dei; placantur, ut habet Ovidius, sublimari exoptes, juxta illud in 1. Fbst. Ovid. m.

In pretio pretium nunc est, dat census honores,
Census amicitias; pauper ubiq; jacet.

In consecutione quidem & adeptione honorum post indefessos studiorum labores adhiberi numos instrumentaliter posse concedimus, non v. principaliter. Namq; nõ debent esse causa honorum primaria: Virtute ambire oportet non ope, possunt tamen esse accessoria, cum rerum gerendarum nervus sit circa quem plurimum vociferationis est, Copia opum.

13. Nec acquirendus honor per amicorum gratificationem est. Virtute ambire oportet, non fautoribus. Sat habet fautorum, semper qui rectè facit, ut habet Plaut. in Amphitr. Prolog. v. 18. talis siquidem honorum collator, adulatorum palpis delinitus, & amicorũ precibus adductus facit, quod ægrotus, qui loco peritissimi Medici, cujus operâ in solido sanitas collocari pòsset ægri, amico petenti gratificaturus eligit Eum, qui ex imperitia facit ut æger morte moriatur: facit, quod navigans, qui neglecto gubernatore exercitato in gratiam amici rogantis Eum ad gubernacula admittit, cujus inscitia omnes qui navi creduntur, pereunt. Quas similitudines ad Eos, qui improbos & rudes præceptores ex Instinctu Amicorum, liberis præficiunt suis, in libr. de Puer. Educ. Plutarch. p. m. 17. ad commodat.

14. Nec etiam nobis curæ esse debet reprehensio aliorum,
quò

quod illis sepositis, munere illorum fungi copia nobis concedatur & honores deferantur. Nostra quippe nec manifesto ad caelos tollenda, nec aliena nimis culpanda sunt. Tacite quidem nostra poterunt laudari, si per sedulitatem labores, nostro officio convenientes alacritate summa suscipiamus, & pertinace constantia perficiamus, ut observemus Monitum Telemachi ad Matrem, quod I. A. Odyss: v. 356. apud Homerum legitur:

Ἄλλ' εἰς οἶκον ἴσσω γὰρ σαυτῆς ἔρσα νόμιζε &c.

§. 15. Nec vi atq; fraude vel crudelitate petendi honores sunt, ut Tyranni facere solent. Τῆς δρετῆς ἀθλον ἢ γιμνῆ, non Crudelitatis aut fraudis.

§. 16. Tandem nec honorum quantitas negligenda, ne majores expetamus & expectemus honores, quam virtus nostra, facta præclara, & Eruditio mereantur, ne persuasione inani polluti nos supra vires nostras efferamus.

17. Alterum, quod in honoribus mediocribus attendendum esse, præcipit Modestia, est, ut in illis collatis acquiescamus, ne altiora quærentes nostræ vocationis cancellos migremus atque deseramus. Ut rei Exemplum ipse Joh. Funccius Theologus & Concionator in aulâ Ducis Prussiæ, laudatissimæ Chronologiæ Autor, suppeditat. Hic cum alienis & politicis negotiis sese imprudenter una cum aliis duobus consiliariis Illustrissimi Alberti Ducis Borussiae, March. Brand. Horstio & Schnellio immiscuisset, & Moscovitarum Duci, Borussi Consilia aperuisset apud Poloniae regem accusatus, capitis damnatus est & decollatis Regiomonti An. 1566. d. 28. Octob. ætat. 40. Cycnæa Eius cantio huic inclusa disticho est:

Disce meo Exemplo mandato munere fungi,

& fuge, ceu pestem, τὴν πολυπραγμοσύνην.

18. Aliud Bias sensit. Huic cum tripus aureus à Piscatoribus inventus cum hac Inscriptione, SAPIENTI deferatur, cōferbatur, Apollinem sapientem dicens Eum non admisit. Ita Pythagoras maluit Philosophus nominari, quam σοφός, eo quod videret altum illud & invidendum nomen Sapientiae & Sapientis, hominem venerari potius quam adsequi posse,

posse. Quæ Pythagoræ modestia Assæclis suis etiam valdè placuit, ita ut magnum Sipientis nomen soli Deo convenire putarint, alios v. doctos viros convenientius & modestius Philosophos appellari autumnarit.

19. Nec moramur, quod, hoc contra Philosophi nomen oggerit Keckermannus in Præc. Phil. Si simplex nomen retinisset Pythagoras, inquit, multo rectius fecisset, dum, quod simplicia priora sint longè & efficaciora nomina compositis; tum quod ad rem ipsam, idem quod Sipientia priscis, nobis Philosophia sit. Et sanè, pergit, si in rerum appellatione quid homines possumus aut non possumus spectandum sit, tantum abest, ut ulla virtus aut doctrina supersit reliqua, cui non nomen $\Phi\iota\lambda\omega\sigma\phi\iota\alpha$ præponi debeat, ut non hodie, $\epsilon\upsilon\sigma\epsilon\beta\epsilon\iota\alpha$; sed $\Phi\iota\lambda\epsilon\upsilon\sigma\epsilon\beta\epsilon\iota\alpha$, non $\sigma\omega\phi\rho\sigma\upsilon\eta$; sed $\Phi\iota\lambda\omega\sigma\omega\phi\rho\sigma\upsilon\eta$ dici debeant: Quod verò Aristoteles compositum id nomen retinuit non tam, quod rei significatæ quadraret, quàm ne receptam appellandi consuetudinem videretur repudiâsse, fecit. Hæc ille. Ex quò ipso postremo de vocabulis ad istius normam noviter formandis, respondemus.

20. Modestus itaque se aliis subjicit non vero inferioribus & virtute omni destitutis; sed istis qui virtute antecellunt, & superant Eiusdem vires. Reprehendit enim defectum virtutis in animo suo, quare excellentioribus virtute cedere gaudet.

21. Conservandi denique & defendendi quoque semel impetrati honores sunt, & æstimium de nobis ubique quantum pote beneficio fortitudinis tuendum. Præstare id aliud virtutis ope aut auxilio habet, cum ex se tantum ad appetitum circa honorem moderandum sit destinata. Nam injuriam propulsare nulli prohibitum, si modo illa sit famosa & gravior quæ nostram autoritatem, si non planè tollit, tamen diminuit, ut ut id fieri ratione fundamenti & virtutis nequeat; sed tantum ratione externi splendoris, modo propulsio fiat legitimis mediis. Hominis namque extremè improbi est, ait Cic. l. 2. Offic. negligere de se, quid, quisque sentiat. Contemnuque famæ virtutes etiam contemnu-

B

temnu-



remnuntur. Quod v. nudas cavillationes & hominum improborum contemptus, qui famam nec diminuunt multo minus tollunt spectat, de istis ulciscendis ne sit sollicitus, cogitet potius illud: Quid si asinus me calcitraret?

22. Defendendi sunt honores, ergo, quod sequitur inde, filius in publicâ dignitate constitutus præferendus quoque Patri privato est. Personæ enim publicæ auctoritas semper illibata esse debet. Contrarium namque ut contingit, tum damnum & vis infertur ipsi Reip. Interim tamen nec honos præripitur debitus hoc modo Patri. Filius enim consideratur vel ratione originis, & extra forum, & sic semper Patre minor, eiq; postponendus jure est: Consideratur vero dein etiam ratione dignitatis, quam nactus est natus, & sic Patrem dignitate superat. In locis quippe publicis paterna silent jura. Egregium rei exemplum legimus apud *Gell. l. 2. N. A. c. 2. p. 42.* ubi Taurus Philosophus ita sententiam decisivam quæstioni motæ ponit: In publicis locis atque muneribus atque actionibus, inquit, patrum jura cum filiorum, qui in Magistratu sunt, potestatibus collata interquiescere paululum & connivere; sed cum extra Remp. in domestica re atque vita sedeatur, ambuletur, in convivio quoque familiari discumbatur, tum inter filium Magistratum, & patrem privatum publicos honores cessare, naturales & genuinos exoriri.

23. Tantum de Modestia virtute. Ei in defectu opponitur ἀφιλοτιμία, quæ hic non, ut aliquando pro moderato honorum contemptu, vel pro ipsâ modestia; sed pro honorum abiectione, quæ honores debiti contra rectâ rationem repudiantur, sumitur. Ita Diogenes hunc committebat errorem, dum se appellabat Canem. Referunt n. Pandectæ Historici, quod Alexander M. ad Eum aliquando dixerit: Ego sum Alexander M. Rex Macedonum, ad quæ Ipse: Ego vero Diogenes Canis. Unde Cynici Philosophi sic dicti, vel à canina mordacitate, quæ in hominum vitas nullo discrimine facto invehebantur, vel, ut alii volunt, quod canum more in propatulo coire non erubuerint. Ita hoc ἀφιλοτιμίας

πρώτης vitio polluti Anabaptistæ sunt, qui honores spernunt omnes, & superioribus annis in Westphaliâ confusam Platonis ἰσότητα imitati sunt, ut alternis vicibus Reges & lictores fuerint, ne æqualitas violetur. v. *Arnif. in Polit. e. 2. de fam. in Gen. p. m. 45.* Isti sententiæ Münzerus seditionis rusticanz Patrum nostrorum seculo ortæ Antesignanus, calculum adjecit suum.

24. Idem Esseni, Apostolici, Carpocratiani docuerunt, moti ex ratione, quod omnium rerum dominium omnibus in creatione permissum, & communio illa ab Apostolis conservata quod & Plato felicem esse Remp. dicat, ubi non audiantur voces istæ, Meum & Tuum. v. *Gerhard. in 29. Polit. decad. 8. q. 2.*

25. Et hîc impingere maluit Carolstadius, ut, post secessionem à Luthero, titulo Doctoris ut ipsum aliquis prosequeretur, minimè passus est. Andreas, non Doctor ut diceretur imperavit. v. *D. Hunn. de Error. Anabapt. th. 46.* Talis affectata ἀφιλοτιμία Monachorum quoque est, qui humilitatem mentiuntur, ita tamen ut illorum submissio sit hypocritica Elatio. Siquidem veluti esse cupiunt divites sine labore, pauperes sine defectu; ita humiles sine despectu.

26. Verùm, ut supra dictum, dum Honor sit virtutis præmium non potest esse honorum æqualitas ubiqve. Nam nec omnibus æqualiter virtus inest. Præmium autem debet analogum esse rei, cujus est præmium. Accedit, quod illa æqualitas honorum justitiæ distributiæ è diametro sit opposita. Quid, quod ista honorum paritas cum lege naturæ, quæ docet majorem debere honorem parentibus atque maritis liberos & uxores, quam liberis & Uxoribus Parentes & Mariti, repugnat? Quod enim Rex est in Regno, est Paterfamilias in domo, ut Hom. *Odyss. 1. habet:*

αὐτὰρ ἐγὼν ἀναξ οἴκοιο ἔσομαι ἡμετέροιο. Quod vero Lyci majore honore mulieres affecerint, quam ipsi fuerint affecti à mulieribus, & Ægyptii γυναῖκεσσι κειραζόμενοι idem ten-

rint, & Sauromata morem uxoribus gesserint, legibus natura contrariatur.

27. Immo hæc honorum inter omnes æqualitas cum ordinatione DEI pugnat. Hinc veteres in historiâ Creati hominis tres vitæ ordines pulchrè depingi non malè obseruarunt: Ecclesiasticum, mentione Imaginis diuinæ: Politicum, mentione Domini homini concessi: & Conjugiū Oeconomicum.

28. Notandum etiam hîc est, quod illi qui ore auferentur, & corde cupiscant honores, non in defectu peccent. Defectus signi honoris illic est, dum interea mens ambitione non careat. Ergo hic parum Modestiae faciunt, qui honorem debitum, pro meritumque vel per Ignorantiam vel Ignauiam aspernantur. Et tantum de DEFECTU.

29. Excessus Modestiae, sive alterum ejus extremum, quod Nimium dicitur, audit Ambitio, quâ quis plures, quam decet, honores appetit, & ut Senec. loquitur c. 16. l. 1. de Irâ, non contentus est honoribus annuis, sed si fieri posset, uno nomine occupare vult fastos, & per omnem Orbem disponere titulos. Quæ propria & perpetua Thrasonum est, qui modo laudentur satis ipsis est, sive id fiat à Gnathonibus parasitis, sive ab aliis non optimi commatis hominibus. Effigiem talis habes in Thrasone apud Terent. in Eunucho. Hæc de Modestia.

C A P. III

De Magnanimitate.

§. 1. Principiò removenda Opinio illorum est, qui Magnanimitatem Virtutem esse & hujus loci, inficias eunt. Docent enim Eam *ὑπὲρ ἐσκαμμένηα πηδᾶν*, nec mediocritatem observare, verum ad majora quam deceret, vires extendere, atque adeo phaethonteos svadere ausus, ut cupiamus cœlo decidere, si cadendum.

2. Nobis

2. Nobis aliud placet hinc asserere hinc defendere, mo-
ti ex isto rationes robore, quod Magnanimitati omnia
virtutis requisita conveniant. Normam agnoscit rectum
prudens iudicium, atque intellectum bene se habentem.
Nam ut in Theoreticis norma intellectus, res sunt:
ita in practicis, ut & in artificialibus rebus, Intellectus
norma subit munus, cuius beneficio res mensurantur.
Normam sequitur forma exemplaris quæ lex naturæ est &
congruentia cum rectæ rationis regula; quæ Magnanimitas
nec caret. Adcedit, quod & ista virtus tendat ad honestum.
Nec in illâ, virtutis formalem rationem Mediocritatem ha-
bes desiderare.

3. Quod supra recitatam Objectionum *ἐν τῷ ἀσπί* spe-
ctat, Eam scilicet versari in maximis, nec mediocritatem cura-
re, ad id cum Piccolom. grad. 4. c. 6. p. m. 280. reponimus: quod
Magnanimitas versetur in maximis consideratione mate-
riæ & Objecti, at non ratione Circumstantiarum. Dici-
tur enim servare mediocritatem, quia versatur in maximis
honoribus, non eos appetendo plus quam oportet, quan-
do, quantum, quomodo, à quo, & pro quibus non oportet;
sed in omnibus his modum servando.

4. Pergunt Antagonistæ atque dicant, quod ab Aris-
totele hæc virtus dicatur Extremitas. Ergo vix nomine me-
diocritatis venire posse. Responsi stat loco, tum, quod vir-
tus in genere dicatur *ἀνδρεία*, non tamen ratione *σοφίας*, sic
enim in Mediocritate consistit; sed ratione *ποσύνη* &
qualitatis, quia ipsa in rebus humanis supremum in ordine
bonorum sibi vendicat locum; tum, quod Magnanimitas
consideretur vel in se, & sic medium est, quia maxima illa,
iusto modo, juxta rationis rectæ decem pedam expetere
docet, & sua extrema obtinet: & respectu Modestiae, sicquæ
extremitas dicitur, quia circa majores occupata honores
est, quam Modestia. Brevibus ut rem comprehendam,
Magnanimus versatur quidem circa magna, ita tamen ut in
illis ipsis, medium observet.

B 3

5, Et

5. Et hi quasi in defectu peccarunt, alii in excessu hanc circa virtutem, qui Eam virtutem heroicam esse autumant. Illi per ἀπορίαν Magnanimitatem è virtutum numero tollere laborarunt: hi κατὰ θέσιν in tertium virtutum gradum hanc, quam tractamus virtutem collocant.

6. Ad istud, quod oppositum nobis est reponit *Piccolom. in grad. 6to de virtute heroicâ cap. 5. p. 537.* Magnanimitas minimè virtus absolutè heroica est. Ratio est, quoniam est virtus moralis, quæ & prædita & destituta heroico splendore inveniri potest. Non enim omnis magnanimitas heroica est; sed ea tantum, quæ vel maximè fulget, vel ad finem eminentiorem elevat. Facta tamen comparatione inter Magnanimitatem & Modestiam, similitudine tantum & proportione dicere valemus, Magnanimitatem esse heroicam in appetendo honore moderationem. Quapropter ut in reliquis virtutibus tres gradus dantur, Incipientium primo, qui semivirtutum est: proficientium dehinc, qui virtutum moralium: & perfectorum tandem, qui virtutum heroicarum est: ita asserimus, quod & Magnanimitas suos habeat gradus, & in summo demum spectata Virtutis heroicæ suscipiat appellationem.

7. His opinionibus quorundam jam dimissis Virtutem nostram describimus, atque dicimus quod Magnanimitas versetur circa honores majores. Genus habet commune cum aliis moralibus virtutibus, differentiâ sibi reservatâ, quam ex Objecto accipit, quod magni hinc sunt honores, circa quos occupata est nimium quantum maximè. Cum enim magnanimus sit, qui magnis dignus honoribus, contingit, ut se iis dignum quoque judicet, & legitimo modo appetat. Appetit vero honores sibi convenientes, respuit, quæ meritis non respondent, appetit illos deinde propter virtutem, quæ in Eo & solius honestatis gratia. Nec cupit, ut deferant Eos ipsi de tribu levi homines; sed magnæ autoritatis, & honestissimi Viri eum ut laudi.

laudibus ornent est, quod ille vehementer roget. Nō tamen
anxiē nimis atque indefinēti studio, sed moderatē debi-
tum virtutis præmium, Gloriam, intimitus sibi deposcit.

8. Versari vero hanc virtutem circa magna, l. 4. E-
thic. 3. variis adstruit Aristoteles, ut istud, tūm ex Etymo-
logia vocabuli, quod μεγαλοψυχία est, quæ à magnitudi-
ne nomen accepit: tūm ex Magnanimi definitione, qui
non solum se magnis dignum, quod & superbi præstant,
judicat; sed etiam revera illis dignus & habetur ab aliis,
& est: tūm ex extremorum Naturâ, quæ magna etiam tra-
ctant, uberrimè probat.

9. Dūm vero gloria atque honor virtutem comiten-
tur ubique, requiritur ut Magnanimus in omni virtutis a-
ctione, quantum fieri modo potest, excellat, ut omnes fer-
mè in eo sedem invenient virtutes. Unde negandum non
est, Phœnice rariores, nec tot, quot ostia Nili forte esse,
Magnanimos. Aristoteles Magnimum virum optimum
esse asserit, & pergit d. l. μάλιτα μὲν ἐν εἶν, ὡς περ εἴρηται,
ὁ μεγαλόψυχος περὶ τιμᾶς· ἔ μὲν ἀλλὰ δὲ περὶ πλῆτον
καὶ δυνατείαν, καὶ πᾶσαν εὐτυχίαν, καὶ ἀτυχίαν μετρίως
ἔξει, ὅπως αὖ γένηται. Maxime, inquit, in honoribus
versatur Magnanimus, nihilo tamen minus & in divitiis,
atque potestatibus, & omni prospera adversaq; fortuna mo-
deratē se gerit. Magnanimus, pergit, in singulis virtutibus
habet id, quod est excellens & magnum, quod etiam per va-
rias, declarat virtutes.

10. Magnanimus in actione Fortitudinis talem se ge-
rit, ut sit μεγαλοκίνδυνος, ut Aristoteles loquitur pag. m:
350, non μικροκίνδυνος, sed φιλοκίνδυνος, nec est ἀφειδής
τῆ εἰς, ut addit ibidem. Non est, ut temerarii, qui sæ-
pe propter res leves, in maximorum periculorum bara-
thrum detruduntur, amator periculorum: Nec parva, dum
in illis non opus sit virtute magnâ, nec laus, magna ex illis
promanet, discrimina de facili adit, Ut vero magna irruunt

non

non sine insultu & novercantis fortunæ impetuoso tumultu, tum non deserit officium, nec terga dat hosti, nisi prius factus fuerit voti atq; expectationis compos suæ.

11. In voluptatibus honestis talem se præstat, ut κατὰ πρόπεον iis utatur, non abutatur: dum perbene norit, quod usus laudem at abusus habeat labem atque crimen. Nec concedit cum Ulysse ut Sirenum cantica svavissima delenefica ad aures perveniant suas.

12. Dum liberalis vel magnifici subire munus occasio jubet, observat probe probeque actiones istas sex magnifico proprias viro. Nempè quod primum est, in beneficii exhibitione proclivis atque pransus est. Lubentissimo opem fert animo petenti, qui si defuerit Diogenis etiam lucernâ quærit cui benefacere possit, metusque expers omnis est, futurum, ut aliquando ipsi nervi rerum gerendarum desint. Ut vero promptissimè exhibet omnis generis beneficia, ita posthac in accipiendo beneficio tardus satis est, atque verecundus, nec lubenti mente accipit, quod datur, dum ita Inferior reddatur Eò, qui dedit, dum debere se alicui quædam postea fateri cogatur, qui tamen ipse

αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπεύροχον ἔμμεναι ἄλλων cupiat. Itaque teertiò larga reddit manu, quod accepit, & plura, quam adeptus est, confert illi qui eum adipiscentem fecit. ἰσὸρροπον & ἰσότημον ut reddat curat sedulo.

13. Inde est, quod diu beneficii accepti recordari non habeat, cito compensare id allaboravit. Diutius vero inhxerent menti, quæ largà messe in alios contulit. Acti enim sunt jucundi labores, atque ita se delibutum gaudio reddit, ut talia meminit. Quod laudes beneficiis suis convenientes & debitas attinet, id agit, ut quæ aliis exhibuit, ipse minus stentoreâ voce propalet atque publicet; sed aliis, ut sublimentur, id negotii committit & commendat. Quæ verò ipse accepit, tantùm abest ut publicare jubeat ἐυεργετήματα, ut potius largo cum fœnore retribuatur statim, quod

quod in se boni derivatum animadvertit. Hinc Thetis, Achillis mater, pro filio apud Jovem supplex facta, ut injuriam ab Agamemnone illi illatam ulcisceretur, contra jus filii, Jovi non commemorat ea beneficia, quæ aliquando ipsi præstiterat, ne commemorando Jovem magis offenderet. Norat enim Magnanimorum indolem. Tandem Magnanimus nulla, nisi summa necessitate, quæ durum telum, cogatur, petit. Petere ab aliquo quid rei, est alicui se subicere, quod ne fiat maxime Magnanimus curat.

14. Quod totam vitæ conversationem attinet, diligenter Ille personarum, cum quibus agendum & sermones miscendi habet rationem. Inter Claros se non obscuri nominis virum esse ostendit & ostentat. Ultimæ cavæ hominibus se facilem affabilemque præbet, ne videatur, quod alios contemnat. Cum mediæ sortis hominibus medio se habet modo, eisque æqualem, non inferiorem esse se demonstrat.

15. Si ad loca quædam visit, ea non eò animo frequentat, ut inde honorem aliquem sibi caperet; sed id potius agit, ut loco, cui assidet, honorem conciliet, ad Ciceronis 1. Offic. svasus: Non domo Dominus; sed Domino domus honestanda est. Immo nullibi deinde locorum permittit ut ipsi primæ præripiantur, Ipse multo magis omnibus palmam facit ambiguum:

16. Nec illi illud Alexandri M. aridet dictum, μηδὲν ἀναβαλλόμεν. Neque enim festinat nimium; sed deliberat diu, quod statuendum semel ad Quintiliani monitum. Non istud faciunt πολυπράγμονες, quibus quando à latere & capite occupationum nimbi saliunt, festinant ut absolvant, quod debent exigere, quoquo etiam id perficiatur modo. Cautio ita rem agere. Q. F. Maximo erat, de quo Ennius:

Unus homo nobis cunctando restituit rem. Magnanimus porro non suscipit Ea, quæ humeris suis inepta, versat diu, quid ferre recusent, quid valeant humeri. Hinc ut

C

omnia

omnia obeundarum rerum morosa negocia imponantur
Ejus robori, vix concedet.

17. Nec est, quod abstinere velis tali cum viro foedus
pangere Amicitiae. Non callidus, candidus est; non reclusus,
sed rectus est. Non Ejus Os nectar promit, Cor aconita
vomit. Odio potius habet, ad Homeri regulam, quae vicunque
loquuntur ore aliud, tacitoque aliud sub pectorevolvunt, qui
spirant corde mephitim, atque rosas ore loquuntur. Quem
amat, aperte amat, & odio prosequitur cui bene cupere non
cupit satis aperto.

18. Etiam si quodque eidem ignotum non sit, veritatem
odia parere, nihilo tamen minus liberè dicenda revelat.
Nec tamen omnia aperit, ut ita dolio Danaidum respon-
deat; praerimis apud homines quorum nihil interest, aut
qui Ea cum incommodo possunt impedire, quae successu a-
lias non carerent suo, sibi temperat, & plura quam loqua-
tur, inaudit. Palpum nemini obtrudit, nec Verba dat,
quibus alicui imponat. Parasitum itaque cave dixeris, quem
Magnanimum dicis.

19. Nec est, ut objicias Ejusdem oculis varias ad mi-
raculum mundi compositas res. Non aliarum rerum ad-
mirator est, qui nihil nisi maximum virtutis thesaurum,
per quem se omnia, quamvis maxima vincere posse sibi pol-
licetur, miratur, atque magnum esse judicat.

20. Caeterum, dum ex Ciceronis l. i. Offic. iudicio, ni-
hil sit laudabilius nihil viro magno & praclaro dignius,
placabilitate & clementia: & nihil muliebri magis quam de
vindicta sumenda cogitare, Injuriarum etiam iste non re-
cordatur. Novit id Officio Viri prudentis contraniti,
quem non falsus honor juvat, aut mendax Infamia terret.
Ita de Vespasiano refert Svetonius in Ejus vit. c. 13, quod
dum Sylvius in defensione divitis rei oblique mordens di-
xisset: Quid ad Caesarem? Si Hyparchus festertium milles
possidet? notans Vespasianum velut inhiantem Rei facul-
tatibus, Caesar non modo non offensus, verum etiam dictum
appro-

approbavit. Interea temporis nec omnes insuper habet In-
urias. Famosas & jugulum petentes, in quibus illud valet,
vita & fama pari passu ambulant omni contentione ulci-
sci contendit, ut ut leviorum statim obliviscatur, qui nec
μνησικακός, nec τιμωρητικός est.

21. Finis eorum quæ in Magnanimo laudem meren-
tur, quæ à Magnanimo exantlantur nondum est. Super-
est, quod nec sit ανθρωπολόγος, dum nec alios laudando,
vel vituperando tempus terat omne. Non aliena curat.
Ædibus in suis quæ recta aut prava gerantur videt & cor-
di ejus sunt, non Ea, quæ ad alios spectant.

22. Immò, ut postremò mentionem faciamus, quo-
modo res necessarias victum & amictum desideret. His in
quærendis non querulus non importunus est, ne, res à for-
tunæ ludibrio pendentes magni facere Eum, videatur.
Nec ea quærit hunc in finem, ut ex iis sibi fœnus com-
paret multiplex, avaris & sordidis, id ut faciant, relin-
quit.

23. Incessu utitur non ut vinceret cervum cursu, dum
nulla agat, quæ festinatione opus haberent. Lente properat;
nec grillatorio, quò nemo gradus grandire potest gran-
dius, ut cum Plauto loquar, sed testudineo quasi, vel len-
to incedit gradu, cum tardior gravitatis Index, habeat-
ur.

24. Voci & ori etiam suo moderatur. Stentoris
in modum quasi jam Hannibal ad portas, non clamat; sed
gravi & submissà loquitur voce. Oratio quoque Ejus inter-
rupta non est nec perturbata; sed, quæ animum tranquillum
indicat, constans atq; sedata.

25. Vidimus naturam Magnanimitatis, actusq; Ma-
gnanimi & munia quibus fungitur, restat, ut prius quam
summam manum huic negotio imponamus ejus Extrema,
ut contraria juxta seposita magis elucescant, considere-
mus.

26. Vitium secundum superabundantiam Magnanimitati oppositum, in nimis prosequendo magnos honores, vocatur, ut Armando de Bello visu tract. 2. de 1. Qual. specie cap. 91. pag. 188. m. placet, καυνότης à καῦμα, quod in græco est Incendium, vel καπνός, quod græcè est fumus, undè & καπνότης fumositas, quæ nostris latinis vocabulis convenit, quia etiam eos, qui nimis ad magnos honores anhelant, ut descendant ad alta, consuevimus arduos, fumosos, ventososq; dicere. Et secundum hoc ita vitiosus potest dici καπνώδης latinè ventosus, ardens, fumosus. Hac ille.

27. Ut ut verò ista Ita se habeant nondum tamen vocem quam hic Aristoteles habet, & ejus originatorum attingunt. Nec apud illum καυνότης, vel καπνότης reperies vocabulum; sed χαυνότης, quod à χαῦν laxus, fungosus descendit. Dum verò ea quæ fungosa, nonnunquam vento inflantur & tumescunt, hinc χαῦν superbum, χαυνότης vero tumorem & superbiam notant.

28. Qui hoc vitio pollunt se, duplici peccant modo: Namque tum in seipso, quia sibi plura, quam possident, vendicant, & Suffeni alicujus ad instar sibi maxime placent: tum in alios, quos nec unius æstimant assis. Quare nec abs re stulti vel stolidi vocantur per analogiam, stultè enim se gerunt honores immeritos ambiendo & res magnas ridiculo cum successu moliendo.

29. Ne res careat, quò illustretur, exempla superbiorum adjicimus mirum in modum superbiorum actiones exprimentia. Alexander M. Pontif. Rom. tantas cristas erigebat, ut dum Fridericum Barbarossam excommunicasset, ille vero eidem supplex fieret Venetiis, pontifex non contentus Imperatoris modestia, pedem Ejus collo imposuit, & à Sacrificulo acclamari jusit: Super aspidem & basiliscum ambulabis. Ita de Julio Cæsare refert Suetonius cap. 76. pag. 51. quod non honores modo nimios recepe-

ceperit, ut continuum Consulatam, perpetuam dictaturam, praefecturamque morum, insuper praenomen Imperatoris, cognomen Patris Patriae, statuam inter Reges, suggestum in Orchestra sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est, sedem auream incuriam, & pro tribunali, thesam, & ferculum Circensi pompa, templum, aras, simulacra juxta DEOS, pulvinar, flaminem, lupercos, appellationem mensis è suo nomine, ac nonnullos honores ad libidinem cepit & dedit. Ita de Lic. Gallieno Imp. Rom. fertur, statuam sibi colosso majorem fieri solis habitu olim imperasse, dum tamen nec statuam nec atria; sed sola atque unica virtus nobilitet.


30. Superbia tandem dividitur in rusticam atque ineptam, quae Incivilitatem habet sociam, quia quis omnibus destitutus & animi & corporis bonis superbit, & in jactabundam sive aulicam, quae gestuum habet adjunctam svaavitatem.

31. Vitium in defectu Magnanimitati contrarium. Pusillanimitas, & *μικροψυχία* nuncupatur, estque animi abjectio, honoribusque se dignum minus judicat, quibus tamen dignissima omnino est. Inde fluit, ut ille qui ad Ejus svasus se componit, de se apud alios malam suspensionem excitet, quasi sibi alicujus sceleris conscius esset, quod propter id honoris fastigium adscendere erubesceret. Nec secum habitat pusillanimis & novit quam sibi sit virtutum supellex haud curta, nec observat antiquum illud *γνώθι σεαυτόν*. Immo deinde sacra vacunae & Morpheo facit. Qui enim honoris minus cupidi, ad res magnas difficillimè adducuntur. At laudata virtus crescit, & immensum gloria calcar habet. Hoc vitio notatus Cneus Pompejus, qui clade Pharsalicà acceptà magnum se amplius non esse recordans, attonito similis, à castris absque comitatu se lento gradu ad mare contulit, pristini decoris & magnanimitatis penitus oblitus.

32. Quod malitiâ superet ex istis vitiis alterum,
subjungendum demùm est. Absolutè ut considerantur,
non labe caret suâ utrumque. Si verò comparatè, unum
alterò, magis Magnanimitati adversatur. Superbia non
ita virtuti repugnat, quam Pusillanimitas. Hæc enim red-
dit inertes homines, ut abstineant ab actionibus præcla-
ris omnibus, quasi nullo munere præclaro & honore di-
gni essent, hinc minus Reip. utiles sunt. At superbi,
dum honores acquirere gaudeant, res præclare gerere ni-
tuntur, & utiliores quàm Pusillanimes ipsi Reip. merito
judicantur. At de Isto Vitiis discrimine uberius
tractantes videantur Philosophi. Nos hîc sistimus
gradum, & dicimus
DEO Gratias.



AD



Ad
*Humanissimum Dn. Respondentem, magni illius
HONTERI, purioris religionis in Transylvania
restauratoris pronepotem, Commensa-
lem meum dilectum.*

Prædicat Honterum passim Lutherus amicum,
Quòd fuerit patriæ præco paterq; suæ.
Hâc, *Hontere*, tuum deducis origine nomen,
Atq; abavum seqveris mente fideq; tuum.
Det Deus, ut redeas patriæ quoq; sospes ad
oras,
Et doceas populum cœlica verba tuum.

*Michael VVendelerus
D. & P. P.*

Ad
*Eximium atqve Eruditissimum Dn. Honterum
Amicum atq; σβασίτων colendum:*

Errat, qui ceræ, statuis, titulisq; Priorum
& qui fumosis credit Imaginibus.
Vix Ea nostra puto Majorum laude parata;
qvæ facta â nobis, hæc ea nostra puto.

Quid

Quid iuvat ut Genitor Lunam subtextit alutæ
Natum spernentem Nobilitatis opus?
Gens sine mente, genus sine re quid? Vilius alga
est,

& quod eâ in terris vilius esse solet.
Hæc curæ tibi sunt, HONTERE polite, Thaliæ
& Sophici nimium sedule cultor agri.
Non jactas Proavum, Transylvanumq; Lu-
therum,
nec Tua, quæ quondam fecerit ipse, putas.
Marte, manuq; tuâ pugnare cupiscis, & arte
Vincere Pieridum castra Inimica, rei.
Non famæ Proavi, virtuti incumbere gaudes,
& sic, quæ cupies postea? utrumq; capis.

L. M. Q.
scrib.

Præses.



Ung. VI 59

ULB Halle 3
004 186 672




f
56.

VD 17.

Juni 2000 M.







C D.
 COLLEGI ARETOLOGICI
 DISPUTATIO ETHICA VIII.
DE MODESTIA
 ET MAGNANIMITATE,
Quam
 PRÆSIDE
 M. FRIDERICO VICCIO SIL.
 defendet
 JOHANNES HONTERUS
 Coronâ Transylvanus.
Ad diem 13. Dec. in Audit. Maj.

VVITTEBERGÆ,
 Typis JOBI WILHELMI FINCELII
 ANNO M. DC. LIV.

34

h. III. 1915

